Viris
Illuſtribus, Excellentiſſimis, Celeberrimis, Experientiſſimis,
atque
cum de republica medica tum de ſe ipſo optime meritis
DECANO, SENIORI, MEMBRIS & ADSESSORIBUS
GRATIOSAE ac INCLYTAE FACULTATIS
MEDICAE,
Patronis, Praeceptoribusque ſuis, ſumme venerandis,
ſalutem & obſervantiam
d.
Sprengel.

Ego, Kurt Sprengel, natus anno CIↃIↃCCLXVI in villa Pomeraniae citerioris, cui Boldekowiae nomen, patre Ioachimo Friderico, Rectore quondam Lycei, quod Palaeo-brandeburgi floret, iam autem Celſ. Comiti a Schwerin a ſacris, matre autem Chriſtiana Sophia Adelungia, educatus atque inſtructus ad decimum uſque aetatis annum a praeceptoribus, quos dicunt privatos, ab ore demum optimi patris in linguis latina, gallica, anglica, hebraica, graeca & arabica, atque tam hiſtoria politica, litteraria, naturali, quam matheſi, praecipue autem analyſi; philoſophia ſpeculativa & practica, deinceps etiam in anatomia, mineralogia, maxime autem botanica ad decimum ſeptimum aetatis annum eo progreſſu perpendi, ubi a. CIↃIↃCCLXXXIII. dignus iudicarer, nobilem quemdam adoleſcentem qui eodem temporis tractu claſſi Suecicae ſeſe devoverat, filium Generoſ. Lib. Bar. de Lange, Reg. Suec. a Conſil. regim. intim. & dynaſtae pagorum plurium prope Gryphiam, docere linguas recentiores & in altiora matheſeos penetralia eundem introducere. Quem in finem adſcriptus civibus academiae Gryphicae, facultate mihi prorſus oblata, multa ex uſu Profeſſorum in alma Gryphica diſcendi, eo modo fructus mihi ſumſi, qui botanicen & chemiam, huius rudimenta, illius pene-
tra-

UAHW, Rep. 98, Nr. 3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1884302580-10/fragment/page=0001

tralia, haudquaquam ex Praelectionibus, sed ex consuetudine fere assidua Ill. celeb. Weigel, analysin & physicam autem, ut anatomiam, physiologiam, historiam deinde literariam, atque veterum tum medicorum tum philosophorum diurnam nocturnamque lectionem tam ex usu satis frequenti Exc. & Celeb. Virorum, Direct. Rehfeld, Prof. Pröhl, & Doct. Overkamp, quam ex librorum copia, quam sponte mihi suppeditaverunt optimi viri, meam facere potuerim. Discipulus autem meus, praeterlapso circiter semestri & quod excurrit, cum ad exercitum transiret Borussicum, educationi & instructioni fratris eiusdem, natu minoris, totum memet dedi, qui cameralibus, oeconomiae & mathesi excolendis sese destinaverat.

Anno deinde MDCCLXXXV, praegressis aliquot peregrinationibus, incitatus cupidine inexplebili, maiores tam in arte salutari, quam in mathesi & linguarum studio faciendi progressus, almam hanc Fridericianam petii, ubi per primum semestre Beat. Karstenii praelectionibus in analysin infinitorum, Cel. Prof. Meckelii physiologicis, Exc. Doct. Junckeri pathologicis, Cel. Prof. Greni chemicis, Ill. denique Goldhagenii therapeuticis, per alterum autem Eiusdem semiologicis & therapeuticis, Celeb. Meckeli anatomicis & chirurgicis, Cel. Bertrami in materiam medicam ita adfui, qui lectionem assiduam optimorum in arte nostra scriptorum & accessum ipsum ad aegrotorum lectulos, ab initio anni MDCCLXXXVI., Exc. Danielis ductu, colerem summa studii & virium intensitate, persuasus deinde veteris maxime autem Hippocraticae medicinae ~~tremum~~ praestantia adiecerim posteritati aliquid tradendo, quod in variis periodicis scriptis & seriebus librorum anniversariis, tum etiam in meis „Ergänzungen zur Geschichte des Pulses" & „Einleitung zur Fieberlehre des Galenus" feci: uti quoque Ill. Boehmeri clinicas frequentavi exercitationes.

Quum autem iam in eo sim, ut Reipublicae inservire cupiam, Vos ~~submisse~~ enixe quaqua possum animi submissione rogatos volo, Viri Illustres, Amplissimi atque Celeberrimi, ut ad examen me admittere dignum censeatis. Quoniam autem res meae familiares natura adeo ~~sunt~~ deminutae, ut ea desiderem, quae vivendi necessitas exigit atque postulat, quippe quod Vobis etiam innotescit, summis obsecrationibus, quoque possum animi adfectu, a Vobis, quorum voluntas mihi semper

clariſſima fuit, peto, ut aliquid de ſoluendo honorario benigne remittatis, quibus in me collatis beneficiis cum nunquam ne minima quidem ex parte ſatisfacere poſſim, Deum, dum viuam, implorabo, ut Veſtra in me merita large remuneret.
Halae. MDCCLXXXVII. Aug. X.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1884302580-10/fragment/page=0004

Viris

Illuſtribus, Excellentiſſimis, Celeberrimis, Experientiſſimis,

atque

cum de republica medica tum de ſe ipſo optime meritis

DECANO, SENIORI, MEMBRIS & ADSESSORIBUS

GRATIOSAE ac INCLYTAE FACULTATIS

MEDICAE,

Patronis, Praeceptoribusque ſuis, ſumme venerandis,

ſalutem & obſervantiam

d.

Sprengel.

Ego, Kurt Sprengel, natus anno MDCCLXVI in villa Pomeraniae citerioris, cui Boldekowiae nomen, patre Ioachimo Friderico, Rectore quondam Lycei, quod Palaeo-brandeburgi floret, iam autem Celſ. Comiti a Schwerin a ſacris, matre autem Christiana Sophia Adelungia, educatus atque inſtructus ad decimum uſque aetatis annum a praeceptoribus, quos dicunt privatos, ab ore demum optimi patris in linguis latina, gallica, anglica, hebraica, graeca & arabica, atque tum hiſtoria politica, litteraria, naturali, quam matheſi, praecipue autem analyſi; philoſophia ſpeculativa & practica, deinceps etiam in anatomia, mineralogia, maxime autem botanica ad decimum ſeptimum aetatis annum eo progreſſu pe-pendi, ut a. MDCCLXXXIII. dignus iudicarer, nobilem quendam adoleſcentem qui eodem temporis tractu claſſi Suecicae ſe devoverat, filium Generoſ. Lib. Bar. de Lange, Reg. Suec. a Conſil. regim. interim. & dynaſtae pagorum plurium prope Gryphiam, docere linguas recentiores & in altiora matheſeos penetralia eundem introducere. Quem in finem adſcriptus civibus academiae Gryphicae, facultate mihi ſponte oblata, multa ex uſu Profeſſorum in alma Gryphica diſcendi, eo modo frui mihi ſumſi, qui botanicen & chemiam, huius rudimenta, illius pene-

tra-

UAHW, Rep. 98, Nr. 3